



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

18 Maji. 15 Kal. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

18 Maji. 15 Kal. Junii.

Beatissime Felix, Capuccine, qui cum ad sacrificium Missæ abires, pecus tuæ curæ commissum Angelus custodiebat, donec redires. Qui cum ab omni cœnâ quotidie abstineres, tribus in hebdomade diebus, ad reficiendas vires, non nisi panem & aquam admittebas; ad brevem, trium duntaxat horarum, somnum asseribus & storeâ, pro cervicali trunco tantum, contentus; ac te, singulis noctibus, ter flagris inclementer cædens. qui per quadraginta annos, cum ad elemosynas pro cœnobia corrogandas exires, dicebas socio, ut Coronam Dèiparæ in manu, oculos in terrâ, mentem in cælo haberet. qui in defunctorum tuorum Fratrum religiosorum ossuariâ te flagellans, illos, quasi prælio gloriosè jam defunctos, allocutus, te ipsum ad illorum imitationem excitabas; cujus familiaris Deo JESU, & MARIÆ Matri anima, in JESU sinum recepta est. Felicissime Beate, doce me ita à te, aliisque sanctè mortuis, discere vivere, ita spiritui carnem subigere, ita in JESU & MARIÆ sinu
habi-

450 ANNI CÆLESTIS
habitare, ut migrantem hinc ani-
mam meam non in Abrahæ, sed in
JESU & MARIÆ, sinu Angeli de-
ponant. Amen.

S. Dioscore, qui post effoscos
ungues, latera lampadibus inflam-
mata, ministris cælesti lumine pro-
stratis, ardentibus tandem exustus
laminis, martyrium consummasti.

S. Venanti, quindecim annorum
adolescens, unâ cum decem aliis
Martyribus ab Angelo candidâ ve-
ste indute.

Sancti Felix, & Potamion Epi-
scopi, Martyres.

Sanctæ Thecusa, Alexandra,
Claudia, Faina, Euphrasia, Matro-
na, & Julitta Virgines, Martyres
omnes, lapidibus ad colla ligatis, in
paludem mersæ.

S. Theodote, qui dum S. The-
cusæ, amitæ tuæ, & sociarum Mar-
tyrum reliquias colligeres, sævis-
simè laniatus, per gladium martyrio
coronatus es.

S. Erice Rex, in cujus loco, quo
in pugnâ cecidisti, fons medicus
agrorum erupit: cujus etiam nunc
asservatur cilicium, tuo sanguine
purpuratum.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 327.

S. MARIA,

S. MARIA, qua B. Felici tuum
 Filium in sinu collocasti, & morientem
 ad calum invitasti. Fac, ut JESUM ita
 ardente sinu accipiam semper in Eu-
 charistiâ, quasi tuum verè Parvulum
 in cor mihi tu ipsa porrigeres!

19 Maji. 14 Kal. Junii.

Sancte Petre Cælestine, qui, inter
 prima infantia tuæ verba, dice-
 bas matri: *Volo esse bonus servus Dei;*
 quem ad scholas missum esse, glo-
 riosus è caelo parens laudavit; cui
 in studiis JESUS è Cruce se magi-
 strum, Angelos verò morum, &
 studiorum præceptores dedit, qui
 etiam te fortè decurrantem plecte-
 rent; quem oculis, ac aliâ ægrum
 MARIA sanavit: qui orando con-
 sopitus, Angelorum Sanctorumque
 agmen, & in singulorum ore singu-
 las rosas rubras vidisti, cælesti quo-
 que musicâ recreatus: quem Abbas
 mortuus, à te consultus, hortatus
 est, ut divinum sacrificium cum re-
 verentiâ celebrares; & Christus
 monuit, ne ab eo celebrando abs-
 tineres, ob eas sordes, quæ, in so-
 mno, etiam castis corporibus pos-
 sunt, animo invito, accidere: cui
 & student, & demum post abdicat-
 tum,